

qui vagus est, flatuum copiam indicat: fixus
verò & parti malè affectæ inhærens, præ cæte-
ris alijs membris colon intestinum, renes, au-
res & dentes affigit. Quinetiam dolor alias
continuus est, qui membrum primario affectu
& proprio conflictari significat: alias denique
sæpius intermittens est, qui corporis partem
consensu alterius, malè affici declarat.

*¶ A proprijs accidentibus signa partium
malè affectarum, & affectuum sumi.*

C A P . V.

Propria partium affectarū & affectuum
accidentia intelligimus quæcunque ne-
cessariò ea consequuntur. Talia autem
sunt (exempli gratia) vngues adūci, qui tabem
eis significant, quibus apparent. Sic, lingua ni-
gricans & scabra ardente febrem, rubor ge-
narum peripneumoniam: pungens lateris dō-
lor pleuritidem, color totius corporis citrinus
iecoris, niger verò lienis obstructionem in-
dicat. Alui item deiectio lotioni carnis recens
maestatæ similis imbecillitatem iecoris, perin-
de atque hydrops frustratam sanguificatio-
nem significant. Atque priorum acciden-
tium nomine singularum corporis partium
proprios affectus etiam intelligere possumus:
Huiusmodi autem sunt apoplexia, epilepsia,
catoche,